An. et vol. XXXIII 25 Octobris 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 407 – Epistulae, p. 417 – Allocutio, 421.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 427 – *S. C. Rituum*: I. Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu, in saec. Aemiliae d'Oultremont, p. 428. II. Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Mariae Dominicae Mazzarello, p. 430. III. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Servae Dei Magdalenae marchionissae de Canossa, p. 431.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 434.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 435-438.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium subnotationis pro anno 1942:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIII, n. 11 - 25 Octobris 1941)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *S. Salvatoris in Brasilia* (Amargosensis). – Ex Archidioecesis S. Salvatoris in Brasilia territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur Dioecesim « Amargosensem » nuncupandam, eidem Metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in Brasilia suffraganeam. – *10 Maii 1941* 407

II. *Antioquiensis et Iericoënsis, de Urabà.* – Dioeceses Antioquiensis et Iericoënsis, invicem canonice unitae, separantur, ac Praefectura Apostolica de Urabà supprimitur eiusque territorium Dioecesi Antioquiensi adnectitur una cum parva territorii Dioecesis Iericoënsis parte, quae propterea ab eadem Dioecesi separatur. – *3 Iulii 1941* 410

III. *Cookpolitana* (Cairnensis). – Vicariatus Apostolicus Cookpolitanus in Dioecesim, Cairnensem nomine, provehitur et erigitur. – *8 Iulii 1941* . . 412

IV. *Cuiabensis, Corumbensis, Registrensis* (Chapadensis). – Ex Archidioecesi Cuiabensi, ex Dioecesi Corumbensi et ex Praelatura Registrensi territorii pars dismembratur; et nova exinde Praelatura « nullius » « Chapadensis » erigitur, Metropolitanae Ecclesiae Cuiabensi suffraganea. – *13 Iulii 1941* 414

EPISTULAE

I. *Exeunte anno quinquagesimo.* – Ad Excmum P. D. Bartholomaeum Cattaneo, Archiepiscopum tit. Palmirensem, Thesaurarium Generalem Camerae Apostolicae, dena lustra sacerdotii et quina episcopatus feliciter explentem. – *23 Iulii 1941* . . . 417

II. *Peramantes litterae.* – Ad Excmos PP. DD. Victorem Bieler, Episcopum Sedunensem ceterosque Helvetiae Episcopos: litteris respondet ex communi conventu apud Sanctuarium Dominae Nostrae Einsiedlensis datis. – *25 Iulii 1941* 418

III. *Altera Mediolanensis Archidioecesis.* – Ad Emum P. D. Alaphridum I. titulo S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Schuster, Archiepiscopum Mediolanensem, Dioecesanam Synodum indicentem. – *8 Septembris 1941* 419

ALLOCUTIO

Ad Praelatos Auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores. – *3 Octobris 1941* 421

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 427

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana seu Leodien.* – Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu, in saec. Aemiliae d'Oultremont vid. d'Hooghvorst, Fundatricis Instituti a Maria Reparatrice. – *2 Iulii 1941* 428

II. *Aquen.* – Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Mariae Dominicae Mazzarello virginis, Confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis. – *16 Iulii 1941* 430

III. *Veronen.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Servae Dei Magdalenae marchionissae de Canossa, Fundatricis Instituti Filiarum a Caritate. – *15 Augusti 1941* 431

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis: Albae Juliae. – Nullitatis matrimonii (Kisch-Nagy). – *17 Octobris 1941* 434

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 435

II. Necrologio 438

An. et vol. XXXIII 25 Octobris 1941 (Ser. II, v. VIII) - Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

S. SALVATORIS IN BRASILIA (AMARGOSENSIS)

EX ARCHIDIOECESIS S. SALVATORIS IN BRASILIA TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM « AMARGOSENSEM » NUNCUPANDAM, EIDEM METROPOLITANAE ECCLESIAE S. SALVATORIS IN BRASILIA SUFFRAGANEAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicum munus, quo, divino ita disponente consilio, in terris fungimur, a Nobis exigit ut ad Christifidelium regimen facilius utiliusque reddendum e dioecesibus nimia amplitudine conspicuis quaedam territorii pars distrahatur et nova ex eadem constituatur dioecesis, quae a proprio Pastore aptius regi possit. Quod quidem animo repetentes, libenter preces excipiendas duximus venerabilis Fratris Augusti Alvaro da Silva, Archiepiscopi S. Salvatoris in Brasilia, qui, cum sua Archidioecesis latissime pateat, ab Apostolica Sede expostulavit ut, ad maiorem sui gregis utilitatem, quaedam territorii pars ab eadem separetur in novam erigendam Dioecesim. Quapropter, praehabito venerabilis Fratris Be-

nedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania et apud Brasilianam Rempublicam Apostolici Nuntii, atque suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum interest vel qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab Archidioecesis S. Salvatoris in Brasilia territorio partem illam separamus, quae comprehendit civiles districtus *Amargosa, Affonso Penna, Aratuhype, Areia, Brejoês, Castro Alves, Itaquara, Itirussù, Jaguaquara, Jaguaripe, Jequiricà, Lage, Maracàs, Mutuhype, S. Antonio de Jesus, S. Ignez, S. Miguel, S. Theresinha, Bõa Nova, Conquista, Encruzilhada, Itambé, Jequié, Poções,* atque ita avulsum territorium in novam erigimus dioecesim, quam ab *Amargosa* urbe « Amargosensem » nuncupari decernimus. Huius novae dioecesis episcopalem sedem in hac *Amargosa* urbe statuimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium extollimus eique omnia tribuimus iura et privilegia, quibus ceterae episcopales civitates pollent. Episcopi vero cathedram in paroeciali ecclesia, ibi exstante, Deo in honorem Nostrae Dominae a Bono Consilio dicata, figimus, quam ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eique propterea et Amargosensibus pro tempore Episcopis omnia item concedimus iura, privilegia, honores, insignia, favores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Novam hanc dioecesim Amargosensem suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in Brasilia, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico iuri Archiepiscoporum S. Salvatoris in Brasilia subiicimus. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova ista dioecesi Canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim, pro Canonicis, Dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut, quamprimum fieri poterit, in hac Amargosensi dioecesi saltem parvum Seminarium, iuxta Codicis Iuris Canonici praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas, erigatur; itemque ut ex hac quoque dioecesi eiusque sumptibus bini delecti iuvenes, in sortem Domini vocati, aut modo saltem unus, non intermissa vice in Pontificium Seminarium Pium Brasilianum de Urbe mittantur ut, sub oculis fere Romani Pontificis, pietate ac doctrina instituantur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad

exsecutionem mandatae fuerint, clerici illi eidem eo ipso censeantur adscripti, qui in eius territorio legitime degunt. Episcopalem autem mensam constituent Curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique ut omnia documenta et acta noviter erectam dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia a cancellaria Archidioecesis S. Salvatoris in Brasilia quam primum fieri poterit Cancellariae dioecesis Amargosensis tradantur ut in eius archivo serventur. Ad quae omnia, ut supra praescripta et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem iam diximus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, Nostrum apud Brasilianam Rempublicam Nuntium, deligimus eique propterea tribuimus necessarias ad id et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eique onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi. Praesentes autem Litterae et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipo-

tentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die decima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Arturus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXV, n. 1 - Al. Trussardi.

II

ANTIOQUIENSIS ET IERICOËNSIS, DE URABÀ

DIOECESES ANTIOQUIENSIS ET IERICOËNSIS, INVICEM CANONICE UNITAE, SEPARANTUR, AC PRAEFECTURA APOSTOLICA DE URABÀ SUPPRIMITUR EIUSQUE TERRITORIUM DIOECESI ANTIOQUIENSI ADNECTITUR UNA CUM PARVA TERRITORII DIOECESIS IERICOËNSIS PARTE, QUAE PROPTEREA AB EADEM DIOECESI SEPARATUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universi dominici gregis regimen Romanis Pontificibus divinitus commissum postulat ut Ecclesiarum circumscriptio earumque hierarchicus ordo aliter constituatur, quoties spirituale animarum bonum id requirere videtur. Quod quidem perpendentes Nos, praehabito favorabili voto tum venerabilis Fratris Caroli Serena, Archiepiscopi titularis Myrensis, apud Columbianam Rempublicam Nuntii Apostolici, tum venerabilis Fratris Francisci Christophori Toro, Episcopi Antioquiensis et Iericoënsis, atque obtento aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant consensu, Nos, de Sacrarum Congregationum Consistorialis et de Propaganda Fide consilio, dioecesium Antioquiensis et Iericoënsis invicem hucusque canonice unitarum, nec non Praefecturae Apostolicae de Urabà territorium aliter circumscribere et constituere opportunum duximus. Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine haec quae sequuntur decernimus : I. dioecesim Antioquiensem, quam fel. rec. Benedictus Papa Quintusdecimus, Praedecessor Noster, Apostolicis sub

plumbo Litteris *Quod catholicae religionis*, anno Domini millesimo nongentesimo decimo septimo, die quinta Februarii mensis datis, dioecesi Iericoënsi aeque principaliter univit, ab hac dioecesi tum in spiritualibus tum in temporalibus seiungimus ita ut a proprio in posterum denuo regatur Episcopo; II. cum vero ipsa dioecesis Antioquiensis minus fidelium numero frequens exsistat, a dioecesi Iericoënsi tres paroecias, videlicet *Anzà*, *Caicedo* et *Urrao* dismembramus easque dioecesi Antioquiensi adiungimus; III. Praefecturam autem Apostolicam de Urabà supprimimus exstinctamque per praesentes declaramus, eiusque territorium praefatae dioecesi Antioquiensi adnectimus. Ad haec autem omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Carolum Serena, Nuntium Nostrum apud Columbianam Rempublicam, deligimus, eique propterea necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quantocius transmittendi. Quae autem hisce Litteris a Nobis Apostolica auctoritate statuta sunt, perpetuo valida esse et fore volumus ac decernimus, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Volumus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam seiunctionis, unionis, suppressionis, statuti, delegationis, et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare contigerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die tertia Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Carolus Respighi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXV, n. 17 - Al. Trussardi.

III

COOKPOLITANA
(CAIRNENSIS)

VICARIATUS APOSTOLICUS COOKPOLITANUS IN DIOECESIM, CAIRNENSEM NOMINE, PROVEHITUR ET ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad dioecesis gradum et dignitatem ab Apostolica Sede iure meritoque provehitur quivis Apostolicus Vicariatus, qui ob auctum fidelium numerum et religionis operum praestantiam haud mediocre susceperit incrementum. Quae quidem cum ita sint in Vicariatu Apostolico Cookpolitano in Australia, ubi rei catholicae status non dissimilis exstet ac in ceteris Australiae locis, in quibus ecclesiastica hierarchia plurimos iam annos est constituta, venerabilis Frater Ioannes Panico, Archiepiscopus titularis Iustinianensis et in Australasia Delegatus Apostolicus, Sanctae Sedi ut Vicariatus ille ad eumdem eveheretur gradum ac ceterae in Australiae Ecclesiae enixe commendavit. Nos itaque, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, omnibus mature perpensis, ac certa scientia, praefati venerabilis Fratris Delegati Apostolici commendationem admittendam statuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de supremae Nostrae potestatis plenitudine, Apostolicum quem supra diximus Vicariatum Cookpolitanum in dioecesim, iisdem servatis finibus, evehimus, erigimus et constituimus, quam ab urbe *Cairns*, ubi sedem hucusque habuit Vicarius Apostolicus et episcopalem novae dioecesis sedem constituimus, *Cairnensem* nuncupari volumus ac decernimus eamque cleri saecularis curis concredimus. Episcopi vero cathedram in ecclesia figimus Deo in honorem S. Monicae, Sancti Augustini Matris, dicatam, in eadem *Cairns* urbe exstante, quam proinde ecclesiam ad Cathedralis gradum et dignitatem extollimus, eique atque pro tempore Cairnensibus Episcopis omnia tribuimus iura et privilegia, favores et praerogativas, quae ad ceteras cathedrales ecclesias earumque Episcopos iure communi spectare dignoscuntur, atque eos iisdem oneribus et obligationibus adstringimus, quibus ceteri per orbem Episcopi et Cathedrales ad-

stringuntur. Novam autem hanc dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Brisbanensi, eiusque Episcopum metropolitico Brisbanensis Archiepiscopi iuri subiicimus. Cum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus capitulum cathedrale illic modo erigatur, indulgemus ut interim ad iuris tramitem pro canonicis dioecesani consultores constituantur et adhibeantur. Quod vero ad novae istius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum institutionem, ad cleri populique iura et onera aliaque huiusmodi, adamussim servare iubemus, quae sacri canones et synodalia Australiae decreta ad rem praescribunt. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Ioannem Panico, in Australasia Delegatum Apostolicum, deligimus, eique omnes tribuimus facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide authenticum exsecutionis actorum exemplar quantocius transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis,

statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die octava mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXV, n. 26 - Al. Trussardi.

IV

CUIABENSIS, CORUMBENSIS, REGISTRENSIS (CHAPADENSIS)

EX ARCHIDIOECESI CUIABENSI, EX DIOECESI CORUMBENSI ET EX PRAELATURA REGISTRENSI TERRITORII PARS DISMEMBRATUR; ET NOVA EXINDE PRAELATURA « NULLIUS » « CHAPADENSIS » ERIGITUR, METROPOLITANAE ECCLESIAE CUIABENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo christifidelibus spiritualia subsidia facilius praestentur, Apostolicae Sedis est ex dioecesibus, quae nimio pateant territorio, partem seiungere, alius Antistitis regimini concredendam. Cum itaque Nobis constet quamplurimos fideles in regione *Matto Grosso* degentes, qui ad Ecclesias Cuiabensem, Corumbensem et Registrensem pertinent, tam longe a suorum Antistitum sede distare, ut spiritualibus eorum necessitatibus haud satis provideri possit, Nos, huic rerum condicioni subvenire cupientes, novam in regione illa Praelaturam *nullius* constituere statuimus. Quare, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, praehabito

suffragio venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania, apud Brasilianam Rempublicam Nuntii Nostri, et Ordinariis, sub quorum iurisdictione regio illa exstat, assentientibus, atque suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Nos, apostolicae potestatis plenitudine, territorium, finibus infra enunciandis circumscriptum, ab archidioecesi Cuiabensi, a dioecesi Corumbensi et a Praelatura *nullius* Registrensi, pro sua ad quamque parte spectante, seiungimus, atque ex ita avulso territorio novam erigimus Praelaturam *nullius*, quam *Chapadensem* nuncupari volumus. Cuius fines erunt: Ad septentrionem iidem fines qui paroeciam S. Annae de Chapada a Praelatura *nullius* Adamantea seiungunt. Ad occidentem linea, quae a fluminis *das Piaras* scaturigine eo usque decurrit ubi flumen *Coxipò-Mirim* ab alta planitie procumbit; extremum limen huius altae planitiei usque ad parvum fluvium *Madeira;* deinde ripa sinistra eiusdem fluminis (quod inferius *Mutum* et *Cujabà-Mirim* nomina sumit) usque ad ipsius ostium in flumen *Cujabà;* atque sinistra ripa fluminum *Cujabà, S. Laurentii* et *Paraguay* usque ad locum in quo ripa fluminis *Paraguay* partitur ad efformandam insulam *Paraguay-Mirim* nuncupatam. Ad meridiem linea recta, quae a divisione fluminis *Paraguay* pertingit ad punctum in quo *Taquari* flumen bipartitur, formans fluvium *Taquarzinho;* dein limen dexterum eiusdem fluminis *Taquari* usque ad lineam, quae dividit paroeciam Corumbensem a paroecia *Coxim*. Ad orientem eadem linea usque ad locum, in quo flumina *Pequiri* et *Correntes* confluunt; deinde flumen *Correntes* usque ad ostium fluminis *Itiquira;* idem flumen usque ad altam planitiem a qua defluit; extremum limen huius altae planitiei usque ad flumen S. Laurentii; demum iidem limites ac inter paroeciam S. Annae de Chapada et Praelaturam Registrensem exsistunt. Novae huius Praelaturae sedem in urbe *S. Annae de Chapada* statuimus, et ecclesiam Deo in honorem S. Annae dicatam, ibidem exstantem, ad Praelatitiae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, quibus propterea Sedi et Ecclesiae nec non Praelatis pro tempore de Chapada omnia tribuimus iura et privilegia eisque onera et obligationes imponimus, quae ceteris Praelatitiis Ecclesiis earumque Praelatis ad iuris tramitem sunt adnexa. Hanc autem Praelaturam *nullius* Chapadensem Metropolitanae Ecclesiae Cuiabensi suffraganeam constituimus eiusque Praelatum metropolitico Cuiabensis Archiepiscopi iuri subiicimus. Quod vero attinet ad eiusdem Praelaturae regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae Sacri Canones

ad rem praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum mandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime exstant. In ipsius autem Praelaturae dotem assignamus et attribuimus oblationes, subsidia et bona quaecumque quae ad hunc finem iam collecta aut colligenda sunt. Mandamus denique ut haec quoque nova Praelatura Chapadensis suis sumptibus binos delectos iuvenes, aut modo saltem unum non intermissa vice in Pontificium Collegium Pium Brasilianum de Urbe mittat, ut sub oculis fere Romani Pontificis in spem Ecclesiae instituantur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, Nostrum penes Brasilianam Rempublicam Nuntium, deligimus, eique propterea tribuimus necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actorum quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel sua interesse praesumant, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis alis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Statuimus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei con-

traire liceat. Si quis vero id, ausu temerario, attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die tertiadecima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Proton. Apost.*
Carolus Respighi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Apost., Vol. LXV, n. 6 – Al. Trussardi.

EPISTULAE

I

AD EXCM̃UM P. D. BARTHOLOMAEUM CATTANEO, ARCHIEPISCOPUM TIT. PALMIRENSEM, THESAURARIUM GENERALEM CAMERAE APOSTOLICAE, DENA LUSTRA SACERDOTII ET QUINA EPISCOPATUS FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Exeunte anno quinquagesimo, ex quo in sacerdotum ordinem aggregatus es atque ineunte vigesimo quinto anno, ex quo ad archiepiscopalem dignitatem electus es, duplicem hanc faustitatem praetermittere nolumus, quin tuam tuorumque laetitiam participando augeamus. Nota profecto sunt egregia merita, quae erga Ecclesiam et Apostolicam hanc Sedem, diuturna sacri muneris perfunctione, tibi peperisti. Namque antea in dioecesibus Salutiarum et Novariensi gravia officia obeundo, deinde in hac alma Urbe Rectoris munere fungens in Collegio Urbano de Propaganda Fide, in animarum bonum profectumque Deo florem iuventutis devovisti. Postea vero, archiepiscopali honore adauctus, Delegati Apostolici munus in Australasia per tria lustra gessisti, et, Romam regressus, Thesaurarius Generalis Camerae Apostolicae factus es. Tuae praeterea peculiari ducitur laudi, in sacramentum paenitentiae administrandum temet sedulo incubuisse et iugiter incumbere, sedesque canonicorum chorales in Patriarchali Basilica Liberiana sumptu

et decore redintegrasse. Quapropter, dum tibi, Venerabilis Frater, de muneribus feliciter gestis ex animo gratulamur, omnia ipsi in posterum fausta prospera felicia a Domino adprecamur. Horum interea conciliatrix et nuntia, praecipuaeque caritatis Nostrae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, propinquis et amicis tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Iulii, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMOS PP. DD. VICTOREM BIELER, EPISCOPUM SEDUNENSEM CETEROSQUE HELVETIAE EPISCOPOS: LITTERIS RESPONDET EX COMMUNI CONVENTU APUD SANCTUARIUM DOMINAE NOSTRAE EINSIEDLENSIS DATIS.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Peramantes litterae, quas occasione oblata annui conventus apud Sanctuarium Dominae Nostrae Einsiedlensis initi ad Nos conscripsistis, sensus vestrae erga Apostolicam hanc Sedem fidelitatis ac venerationis clare significabant, itemque virtuti ac dignitati vestrae, optatis Nostris et rationi temporum, in quibus versamur, plane respondebant. Filialem sane dilectionem agnovimus in iis, quae commemorastis de inceptis operibusque Nostris ac praesertim de paternis curis quibus, omnes orbis regiones complectentes, omnia profecto conati sumus et iugiter conamur, ut conciliatio animorum et iusta pax in terris restituantur. Quod attinet vero ad Helvetiam Nobis perdilectam, nuperrime quoque, instante celebratione sescentesimi quinquagesimi anni, ex quo Confoederatio vestra condita est, litteras Nostras libenti animo misimus eximio Praesidi ceterisque e Supremo Consilio Foederali Helvetico, in primisque gratulati sumus de pace et concordia, quibus cives vestri inter tantas infandi belli procellas perfruuntur, deque peculiari ratione, qua istic religionis iura, Moderatorum prudentia ac sapientia, in honore habentur. Nihil autem potius ducimus, quam ut ista Dei beneficio velut « insula pacis » in medio aestuantis Europae intacta atque integra etiam in posterum servetur, ut plagas ipsius belli pro viribus lenire valeat ac salutaria opera pacis perficere queat. Propterea istos fideles dilaudamus de singulari pietate, qua Beatum Nicolaum de Flue, illustrem Helvetiae

pacatorem, colunt ac venerantur, in cuius potenti apud Deum suffragatione Nos, vobiscum eiusdem honoris rite augendi cupidi, magnam spem iure collocamus. Interea caelestium munerum auspicem et praecipuae Nostrae dilectionis testem vobis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero et fidelibus unicuique vestrum concreditis Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Iulii, in festo Sancti Iacobi Apostoli, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

III

AD EMUM P. D. ALAPHRIDUM I. TITULO S. MARTINI IN MONTIBUS S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM SCHUSTER, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, DIOECESANAM SYNODUM INDICENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Altera Mediolanensis Archidioecesis pastorali visitatione peracta, ingentis quidem laboris mole, antequam legitimam Synodum congregares, ad Nos litteras scribere contendisti, quae singularem tuam in Apostolicam Sedem venerationem testabantur et in Nos officii et pietatis sensus profitebantur. Fidelis observantiae tuae delectati obsequio, in Dioecesana Synodo a te indicta novum luculentumque deprehendimus argumentum pastoralis studii, quod te in exemplum sollertem pastorem ad aggredienda coepta impellit auctiori semper gregis tui utilitati et profectui conducibilia. Ex his aliqua Nos meminisse iuvat, ad quae recens vigiles curas tuas convertisti quaeque ad religionis incolumitatem tuendam et prosperitatem comparandam haud exiguos afferent usus: Masinagi scilicet apud Varisium mox aperiendum Institutum, quod vocant Praeseminarium, ubi pueri qui a tenella aetate ad sacerdotium proclives se sentiunt, sacri Seminarii tutioris spei futurae arbusculae, aptis primis rudimentis imbuentur, et in istius celeberrimae urbis exterioribus partibus, ubi opificum domicilia increbruerunt, magno ausu magnoque impendio complures exstructas aedes sacras. Quibus in inceptis moliendis sacerdotes istius ecclesiae Ss. Ambrosii et Caroli nominibus perillustris ingeniosos et alacres probasti eiusdemque christifidelium suetam expertus es munificentiam. Haec omnia digna Nostra honestamus laude. Neque alia silentio praetermittenda sunt, quae vobis meritum gignunt honorem: pontificia

missionalia opera, etsi calamitosa labantur tempora, amplis largitionibus adiuta, christianae caritatis in inopes generosa beneficentia exercita, Universitas studiorum a Ssmo Corde Iesu, gloria vestra, singulari amore exculta. Multigenae huiusmodi operositati Dioecesana celebranda Synodus quasi fastigium imponetur, cui quidem vehementer optamus, ut ad spem tuam eius respondeat eventus et ad impigri laboris tui solatium vota tua cumulate perficiantur. Multum nimirum conferunt huiusmodi legum praescripta, si mature, diligenter, scienter conduntur, ut arceantur facile irrepentes vitiosi abusus, restaurentur labentia, devia emendentur et, ecclesiasticae disciplinae solidato vigore, ad egregia et salutaria coepta concordes vires coalescant. Quamvis non sit necesse bene currentibus stimuli admoveantur et ubi lux fulget ponantur lucernae, volumus tamen aliqua tibi consideranda proferre, quorum in synodalibus scitis praecipua Nobis videtur habenda esse ratio: haec enim labentis nunc temporis necessitatibus congruunt. Salutare et providum esse censemus, si constitutionibus sanciendis religiosa christianae plebis institutio, qua ecclesia ista a S. Caroli aevo excellit, foveatur. Actio catholica singulis in paroeciis vigentior semper polleat, dierum festorum sanctificatio defendatur et provehatur, spirituali operariorum curae quam maxime consulatur, ad severae christianae civilisque dignitatis decus publici et privati mores revocentur. Quod istic quoque e sententia fore, spondent tua probata virtus ac docile obsequium, quo clerus atque christifideles istius ecclesiae iussis optatisque tuis aemula alacritate obsecundant. Nos autem supplici prece tibi caelestis sapientiae lumina exoramus, ut quae in agenda Synodo cavebuntur et instituentur, rerum opportunitate et aequitate sint probanda eademque uberes salutis fructus pariant. Id effuso ex animo ominati, propterea quidquid boni, fausti utilisque Archidioecesi isti contingit semper Nobis optatissimum est, tibi, dilecte Fili Noster, et sacerdotibus cunctis, qui memoratae rei causa in unum tecum, grata semper tua corona, convenient, Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Septembris a. MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

Summus Pontifex, die 3 mensis Octobris a. 1941, adstantibus Praelatis Auditoribus ceterisque officialibus et administris Tribunalis Sacrae Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatis et Procuratoribus haec verba fecit.

Già per la terza volta, diletti figli, grava sulla solenne inaugurazione dell'anno giuridico della S. R. Rota l'irruente e dolorosa atmosfera di guerra, che di mese in mese, di stagione in stagione, di anno in anno, qual bufera che tutto aggira, rapisce e sconvolge, si dilata e cresce in sempre più vasto spazio senza confini, oltre ogni riva, in sempre più immani mutamenti, forme e rovine. Il tragico carattere di questa situazione del mondo, così dal lato umano come dal lato morale e religioso, preme altamente sull'animo Nostro e ne aumenta il travaglio e le pene tanto più affliggenti ed estese, quanto più il Nostro amore di Pastore universale dei fedeli è aperto ad abbracciare tutti i popoli. Questi Nostri sentimenti — come abbiamo anche rilevato dalle nobili parole del vostro degno Decano — trovano piena comprensione in voi, che per l'ufficio affidatovi dalla Sede Apostolica siete nel centro spirituale della Cristianità ministri del diritto, eletti rappresentanti di una potestà giudiziaria penetrata da sacro senso di responsabilità, dedicata al bene ordinato con giustizia ed equità nel mondo cattolico. Giacchè non è cosa nuova per voi che l'amministrazione della giustizia nella Chiesa è una funzione della cura delle anime, un'emanazione di quella potestà e sollecitudine pastorale, la cui pienezza e universalità sta radicata e inclusa nella consegna delle chiavi al primo Pietro.

Perciò, in mezzo alle contrastanti e dissolventi tendenze di un mondo agitato e sconvolto, la Chiesa sempre ha proceduto ferma e serena nel suo cammino di giustizia, non pavida dei nemici, non servilmente ligia agli amici. E voi, studiando i fasti della sua storia densa di lotte e di vittorie, la vedete, immota e immobile sull'incrollabile fondamento della costituzione a lei data dal suo divino Fondatore, far sorgere, nel corso dei secoli, sotto il soffio dello Spirito e come espressione della feconda pienezza della sua vita, un diritto che, offrendo a tutti i popoli e le nazioni, a tutte le stirpi e le lingue la medesima giuridica situazione, ha largito all'universale *grex dominicus* tale un ordinamento, in cui unità e vastità, libertà e disciplina vengono mirabilmente a trovarsi

congiunte, animate e sostenute. E nell'età presente, quanto più appare scosso in non pochi il rispetto alla maestà del diritto, quanto più al diritto prevalgono considerazioni di utilità e di interesse, di forza e di ricchezza, tanto più conviene che gli organi della Chiesa dediti all'amministrazione della giustizia diano e infondano al popolo cristiano la viva coscienza che la Sposa di Cristo non viene mai meno a se stessa, nè muta cammino per mutare di giornata, ma sempre è e si avanza fedele alla sua sublime missione. A così alto scopo mira in grado eminente il vostro insigne Collegio.

